

distinctius retulit Didacus Nugno, (1) qui hac ipsa ætate temporum in Hispania versabatur: Nostri temporibus fuerunt quidam moderni, qui distinguuntur inter has duas propositiones: Hic homo non est Summus Pontifex; & Non est de fide, quod hic homo sit Summus Pontifex: loquebantur autem de Clemente VIII., postquam multos annos rexerat Ecclesiam, multosque actus Pontificios fecerat, ut canonizare Sanctos, & alias similes: Dicebantque, illam primam propositionem esse schismaticam, & scandalosam, & multum temerariam; at nullo modo erroneam, vel hereticam: Secundam vero propositionem, dicebant, esse probabilem. Sic sane Socii Complutenses, Didaco Nugno apprime noti. Ex quo porro nec hæreticum, immo nec erroneum est, negare, hunc hominem esse Summum Pontificem, consequens profecto est, ad fidem nulla ratione pertinere, ne mediate quidem, ut ajunt Theologi, ac secundario, ut is peculiaris homo Pontifex agnoscat.

Haud me fugit, Ludovicum Turrianum, qui Thesium Complutenfium, apud Socios defensorum, præses, & arbiter federat, hanc ipsam controverfiam post annos amplius triginta, (2) editis disputationibus, agitantes, lectiones initio monuisse, (3) Quæstionem esse, an sit de fide istum esse Pontificem, ita ut contrarium sit hæresis? ac tandem ultimo statuisse, Non posse hoc tempore sine scandalo defendi, rem non esse de fide. Verum quis non videat, Turrianum, post susceptas audaciam penam, sibi subinde cavisse, ne quid deturrius accideret; quæstionemque, cujus occasione mulctatus fuerat, ad eum tandem sensum flexisse, qui novæ animadversioni obnoxius esse non posset. Immo cum disertis verbis significet, non posse id sine scandalo defendi hoc tempore; satis aperte innuit, id sibi ante hæc tempora licuisse.

Nec pariter inciusus sum, Gasparem Hurtadum, alterum Thesium defensorum, editis post annos aliquot Commentariis, epinicum cecinisse, darumque ab Hispanis Quæstoribus defensoria doctrinae absolutionem jactasse. Re ad Clementem VIII. delata, inquit ille disp. 11. De fide, diffie. 13. Romam ab eo vocati sumus, ad rationem dictæ propositionis reddendam. Jamque vie accingebamur, cum obtentum est a Pontifice, ut res in Hispania transigeretur, datis ad id iudiciis, a quibus, re exacte discussa, innocui profus, & indemnes deciderent, doctrina ipsa sana plane iudicata est. Quis reo in causa propria fidem præstet, maxime si contrariis testimonioibus resellatur? Statim ut illa propositio, (4) inquit ex adverso Didacus Nugno loco ante laudato, universa Ecclesia Catholica tam in Hispania, quam in Italia, præcipue civitas Romana scandalizata est: omnes viri sapientes, & etiam vulgares vehementer scandalizati sunt: omnes iudices fidei, præcipue Summus Pontifex, æque nimis tulerunt, quod talis propositio defenderetur. Et clarissimus Thuanus lib. 31. Historiarum: Jesuitici sodales alieno tempore aliquas quæstiones proposuerunt, quæ magne animorum commotioni non solum Romæ, sed quacunque legitime successerunt, & doctrine patet ditio, materiam præbuerunt: & inter eas, Clementem VIII., qui nunc Romæ sedet, credere legitimam B. Petri successorum, non esse ex articulis fidei. Quod nisi Philippus Orator intervenisset, toti Societati periculum non medietate importabat. Deinde etiam, Confessionem, quæ inter Ecclesie Sacramenta habetur, per Epistolam, & per curiores peragi posse. Quæ quæstiones in ortu suo non solum magno consensu rejectæ, verum prudentissimo

statim extinctæ sunt. Nimirum, quam sententiam indemnem, ac plane sanam, lato iudicio, pronunciatam, effudit reus, hanc ipsam ab universis fidei iudicibus male habitam, agris animis, auribusque auditam, magno demum consensu rejectam, atque extinctam, cæteri contestantur. Hurtadum, tanquam de approbata doctrina epinicum cecinisse, consilio, quod e custodia, in quam tua cum cæteris confectus fuerat, post dies aliquot sit educus. At quis, quæso, vel mediocriter sapiens, laxatam præcipitanter ab Hispanis Quæstoribus carceris penam, ad defensoria doctrina commendationem ostentet; cum & festinam illam laxationem amaro animo tulerit Romanus Pontifex, & defensoriam doctrinam, supplicio dignam, & male sanam, iudicavit? Prioris argumenta sat multa dedimus lib. 2. cap. 30. Posterioris fidem locupletissimam facit Petrus Hurtadus, alter Societatis Theologus, a Gaspare distinguendus, disp. 37. sect. 2. Hinc sententiæ (ex fidei articulis esse, hunc privatum hominem esse Summum Pontificem) multum roboris dedit Clemens VIII. incarcerans nonnullos Doctores, quod oppositam censuerint, eosque jubens Romam adire, rationem reddituros illius sententiæ, quæ illi Sedi visa fuit digna supplicio. Quodque omni externo testimonio gravius est, Clemens ipse assertiones Compluti defensas vocat; quorundam hominum, novitates amantium, parum consideratas, ne quid gravius dicat, opinionibus: dato Brevis Pontificio, quo Francisco Zumelio eruditam lucubrationem (5) adversus eandem, hortante Nuntio Apostolico, adornatam, gratulatus est.

Nunc vero, eam Complutensium Theologorum molitionem eo collimasse, ut imminenti iudicii Pontificii robor, & auctoritatem eliderent, (quod altera tituli parte significavi) una omnium sententiæ fuit: ut etiam ex ipso afferrentur sine, inlittutoque, geminæ assertiones, Compluti defensoria, graviore censura perstringerentur. Sic sane Clementi persuasum liquet, ex Hispanice legationis instrumentis, lib. 2. cap. 30. recitatis: persuasum & Theologis. Hinc religiosissimi, doctissimique Carmelita Salmaticenses, strictioris Institutii Tract. 17. de fide, disp. 4. de Romano Pontifice, dub. 2. §. 1., ut Clemens iustissime predictos Doctores puniret, opus non erat, quod eorum doctrina esset hæretica, & immediate contraria fidei: sufficiebat enim, esse vel temerariam, vel scandalosam, vel erroneam; præcipue si eo fine promulgaretur, ut quis posset declinare ultimam Pontificis sententiam in aliquo fidei negotio, tunc imminente.

Cæterum dormites, an vigiles, nescio, dum alteram sub Paulo V. tentatam Barcinone molitionem excusas. Theses ego publicæ disputationi paratas dixeram, probante, ac subscribente Raphaeli Gueran, e Societate Jesu, in quarum septima propositione isthæc ad Pauli V. injuriam legebantur: De fide debebamus credere, Clementem VIII. fuisse vite electum, ut verum Pontificem: certitudine vero morali, Paulum V. esse verum Pontificem. Tu modo superciliosus hallucinationem exprobras, quasi non satis observaverim, citatum Thesos fragmentum adversus Prædicatores fuisse positum, qui cum accusassent Jesuitas sub Clemente VIII., quod docuissent, de fide non esse, ipsum verum esse Pontificem; ipsimet & ante, & postea docuerunt, certitudine duntaxat morali constare, hunc, qui pro tempore Ecclesiam gubernat, esse verum Pontificem. Quo dicto

dicto cum se peti, perstringique, viderent Prædicatores Barcinonenses, palam coram Episcopo intercesserunt, ne publice Theses defenderentur. Quis isthæc a vigilante scribi putet? Si enim ea Prædicatorum sententiæ fuerat, certitudine duntaxat morali constare, hunc, qui pro tempore Ecclesiam regit, verum esse Pontificem; qui, quæso, adversus Prædicatores positum fingitur fragmentum illud, quo certitudine duntaxat morali credendum asserbatur, Paulum V. esse verum Pontificem? Quæ tandem forte, eo se dicto peti, perstringique, fenserunt Prædicatores Barcinonenses, quo suam potius defendi doctrinam, atque probari, conspiciebatur? Non ea ergo de causa intercessio a Prædicatoribus facta est, sed quod atrox Paulo V. irrogaretur injuria; ejusque tum maxime ludebatur auctoritas, cum de ferenda in Molinianos sententiæ cogitabat.

Il potius, peti se, atque perstringi, sentiebant, omnique, pro varia ratione temporum, doctrina vento se circumferri, significabant, qui paratis ab uno ex nostris ad publicam disputationem Thesium intercesserunt, Granatæ anno 1614., quod hæc illis propositio inserta esset: De fide est per se primo, quod illo homo, qui modo feliciter gubernat nostram Ecclesiam, sit, Summus & verus Pontifex: suaque apud Inquisitores auctoritate effecere, ne publice defenderentur. Quod quia perfractæ negas, ac parum verisimile videri, ais; expostulatorias Hyacinthi de Soes ad Paulum V. Epistolæ a me duntaxat in Historia subinducatas, integras modo subijcio; quæ tota rei series continetur, & structæ machinationis auctores suis coloribus depinguntur.

BEATISSIME PATER.

Tactus dolore cordis intrinsecus, Sanctitatis Vestræ Sanctissimos Pedes votis omnibus osculatur accedo: quos utinam meis lacrymis irrigare possim; ut vel sic oculos meos, studiis delassatis, reficiens, ostenderem, quam acutus animam meam pertransierit doloris gladius, videns in Ecclesia Dei, & in Hispania tale quid, quale Sanctitati Vestræ cordis ejulationi proponam. Cum sim in sacra Theologia Baccallaureus, & ejus publicus Professor in hoc Regali Conventu sanctæ Crucis Granatensis, Ordinis Prædicatorum, Provinciae Bæticae, veritates Theologicas, quas oculis Sanctitatis Vestræ humillimus in testimonium offero, publice in Cathedra defensorum emisi, omnesque religiosos, virosque doctos hujus Civitatis, ut moris est, invitavi. Quo facto, accidit, ut Patres Jesuitæ, (ita coram testibus affirmavit Inquisitor) novit Dominus, quo spiritu ducti, ad Tribunal sanctæ Inquisitionis accedentes, querelam contra me proposuerint, dicentes, & a se ipsis loquentes; me contra mandatum Apostolica Sedis ausum fuisse, in meis assertionibus defensare quamdam propositionem, quam non fore disputandam, neque defendendam, Apostolica Sedis (ut dixere) præcepit Auctoritas: videlicet, quod in Conclusionem 33. asserto, De fide esse per se primo, illum numero hominem qui modo feliciter gubernat nostram Ecclesiam, esse verum, & Summum Pontificem. Et cum isti Patres sint potentes in sæculo, persuaserunt Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, nullis litteris ostensis, sed solum sua auctoritate, & voluntate facti, quod me vocarent, & ab uno Inquisitore, nuncupato Don Gabriel Pizarro, reprehenderent, ob illam propositionem. Sery Tom. II.

(1) Lib. 1. cap. 23.

Quod & factum est coram tribus fratribus Ordinis mei; præcepitque, ne talem propositionem defendere auderem. Factum hoc mecum perpendens, ac diutius alte repetens, mihi metipsum ipsi persuasi, impossibile fore, vestram Sanctitatem tale quid præcepisse, neque tale permiffuram, si factum agnosceret. Ideoque de tali eventu verissimam volui narrationem facere Sanctitati Vestræ, obsecrans per Christi viscera, ut perpendat Sanctitas Vestra, quid dicerent Hæretici hujus temporis, si audirent, prohiberent esse Catholicis defendere, Vestram Sanctitatem esse verum, & legitimum Orbis Pontificem: quantum gauderet modo Calvinus, quam lata utraque manu pfalleret perfracta Anglia. Deum obsecro, ac Vestram iterum, atque iterum obsecro Sanctitatem, ut Sponsæ provideat. Quid enim pejus Ecclesiæ Dei, quam certa fide non tenere, te, regulam fidei, cui dictum est a Domino, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; ac esse verum, ac Summum Pontificem? Aut formidare talem veritatem omni veneratione majorum? Vale Pater Sancte, Nestoresque vivas annos, ut Ecclesiæ Sanctæ Dei feliciter præsideas, & provideas. Granatæ, ubi supra, anno Domini 1614. Julii die 8.

F. HYACINTHUS SOCES.

SECTIO SEXTA.

Confutatur Eleutherii Liber quintus, quo quinta hujus causæ cognitio, seu habitæ coram Clemente VIII. disputationes referuntur fide perfima.

CAPUT PRIMUM.

Eleutherius salsa, & inepta non pauca quinti hujus examinis narrationi præmittit: nostra inconsulte, ac temere carpit.

Harum fallitatum pars maxima in antecessum revicta est; quales profecto illæ sunt, quas sub ipsum statim initium comministeris, ut quinti hujus examinis indicendi rationes, quascunque liber, obrudas. Pontifex, inquis lib. 5. cap. 1., acceptis, inspectisque suffragiis tot Academiæ, & Theologorum, quæ ex singulis Europæ partibus Romam transmissa, doctrinam Molinæ mirifice confirmabant, incertus, quid ageret, se se versabat partes in omnes. Hinc in tam inconstantibus, totisque resistis, & revulsis Consorum de Molinæ doctrina iudiciis, fundamentum, cui decisionem Pontificiam tuto superstrueret, satis firmum non videbat. Illinc Cardinalis Berneri, ab Episcopatu Asculani dicti, apud illum assidui, quotidianis sermonibus, in eam opinionem inclinabat, ut crederet, S. Augustinum Molinæ contraria sensisse. Denique, ut erat aequi, rectique amantissimus, decrevit, rem totam (id quod hæcenus non fecerat) per se ipse cognoscere, & auditis utriusque partis Theologis, causisque juridice discussis, pronuntiandæ denique sententiæ viam parare. Atqui hæctenus sex ista & contrario demonstrata sunt: 1. Academiæ suffragia diu ante id temporis a Clemente inspecta fuisse, (1) quin idcirco ad Molinæ sententiæ propendisset. 2. Academiæ, ac Theologorum Censuras, ex Hispania Romam advectas, majori ex parte adversatas esse Molinæ. 3. Quæ ex Germania, & Lotharingia Romam allata fuerant, Academiæ suffragia, ne eo quidem

(1) 3. part. q. 20. art. 3. diffie. 1. (2) An. 1634. (3) Part. 1. disp. 35. (4) Deest verbum: forte, defensoria est. (5) Extat lib. 2. Hist. c. 31.

dem nomine censeri posse, quod a Jesuitarum Collegiis, Academiæ titulum præferentibus, prodissent. (1) 4. Romanorum Censuram iudicia, firma, constantia, ac nusquam sibi dissimilia, firimum superstruendæ sententiæ Pontificiæ fundamentum præbuisse. (2) 5. Clementem pertinaci controuersarum questionum studio, non alienis suasionibus, ac fustibus, in eam tandem opinionem descendisse, Augustinum contraria Molinæ docuisse. 6. Eundem diu ante rem totam per se cognovisse, quam solennes disputationes ediceret. (3) Quibus omnibus tunc in antecessum declamationes, ac perre depulsa sunt.

Audacioris petulantia est, quod ad Pontificiæ maiestatis injuriarum adjicis hoc ipso in loco: Clementem VIII. de Censuram, Dominicanorumque consilio, omnium disputationum, coram se habendam, materiam, ad unius sancti Augustini auctoritatem, referendam decreuisse; ut, sublata Patribus Societatis argumentorum varietate, qua antea prævaluerant, facilius opprimerentur in arcto positi, & ad unius Augustini auctoritatem religati. Itane vero Clemens VIII.? Ille, inquam, ut paulo antea vocitabas, agit, relique amantissimus Pontifex? Sed & vide, quam parum inter se coherentia scribas, ac tecum ipse intra paucas lineas apertissime pugnes. Ecce enim, de Censuram, quos Societati inferens milles ingeris, Dominicanorumque consilio, hanc a Summo Pontifice susceptam voluntatem, obtendis, & quidem, malo animo; ut nimirum Jesuitæ, in arcto positi, facilius opprimerentur; & tamen hoc ipso capite primo, Libellum supplicem, Clementi VIII. Societatis nomine datum, representas, quo hanc sibi concedi gratiam precabantur; seque summi benefici loco habituros, significabant, si ad unius Augustini normam controuersia ille omnes exigerentur: Respondemus tertio, inquit, cupere nos, ac petere, & si concedatur, in loco gratiæ habituros, ut serio scripto, & voce, coram Beatitudine Vestra discipetur, quanam vere sit hæc in parte S. Augustini sententia.

Age tamen, & refutatas diu fabulas, parenteque antilogias furda aut prætermittamus; ut quam valenter nostra impetas, majori otia perpendamus. Observatum a nobis fuerat libro 3. cap. 1., festinante disputationis tempore, tentasse Molinæ vindices, num possent secreta quadam machinatione Thomam de Lemos Roma pellere; quod fatali reum præceitarum usu didicissent, plus sibi ab illo, quam ab Alvaresio, timendum: eaque idcirco de causa sacras Lemosius infulas a Philippo III. Hispaniarum Rege deferri, curasse, ut illum honoris specie in Hispaniam agerent. Quid tu modo? Qua es cavillandi facilitate, comediam, ab Historico fictam clamas, ut his facetiis intermixtis, lectorum animos occuparet, ne forte animadvertent, cladem Alvaresio illatam primo congressu, sub ipsis Pontificis oculis habito, Generali Dominicanorum injecisse necessitatem Lemosii substituenti. Quod ne temere obieisse videaris, nonnulla lectori pensanda notas: 1. Alvaresium veteranum jam tunc fuisse Theologiæ Professore; Lemosium e contrario recentem hominem, qui biennio ante Theses Theologicas discipulus defenderat Neapoli: (4) ut vel hinc liqueat, quanto iunius a Lemosio, quam ab Alvaresio, timendum sibi, duxerint Jesuitæ. 2. Non adeo tunc potentes fuisset in Hispania Jesuitas, ut horum commendationibus infulas Dominici acciperent. 3. Tempus medium inter indicatas, & inchoatas disputationes, non fuisse sufficiens, ultro, citroque commendantis

Roma in Hispaniam Litteris, quibus juniori Lemosio Episcopatus procuraretur.

Verum comediam hanc, ut vocare libuit, non ab Historico fictam, sed a Sociis vere actam, & vincit testis locupletissimus, jam tum ad marginem adnotatus, Dionysius Leone Lycienis, cujus hæc ipsa verba sunt, Epistola Dominico Marchefio inscripta. *Arrivo in Roma, dove per parte de Padri Gesuiti compariva il Padre Gregorio di Valenza. E si deve avvertire, che questo nelle dispute publiche, quanto volto s' incontrava con il P. Lemos, sempre si trovava di spirito molto inferiore. Onde havendoli saputo la venuta di questo Padre Lemos, si procurò per mezzo infirmi per haver lo sfrato da Roma &c. Hoc est: Romam accessit Thomas de Lemos, ubi, Societatis nomine, Molinæ causam orabat Gregorius de Valencia. Id vero notare juvat, illum, quatenus cum Lemosio congressi contigit, toties ingenii dotibus inferiorem habitum esse. Quare, ut primum de Lemosio adventu auditum est, omnem industriam contulere, ut Roma quo pacto pelleretur, &c. Tu potius recedentem in modum hallucinatis, Eleutheri, qui ut rem, lippis tunc, ac tonforibus notam, ab omni veri specie remotissimam probes, fabulam facis; Lemosiumque anno 1602., quo solennes coram Pontifice disputationes indite sunt, tiroem, recentemque in scholæ ludo discipulum fingis, a quo nihil esset Societati perimendum; junioyremque sacrificium commiseris, quam ut illi conferri posset Episcopatus, cujus obtentu in Hispaniam ageretur. (5) Falleris, Eleutheri, temporamque rationem perperam inis. Ætate quippe maturus erat Lemosius, annumque jam tunc quinquagesimum septimum numerabat, quo tempore Clemens disputationes indixit: quandoquidem, ut ex vitæ ejus Scripioribus liquet, anno 1629., qui postremus mortalis illius contubernii fuit, octogesimo quartum vitæ annum agebat. Immo fuisse illum, quo tempore his illa magna Romæ penderet, Alvaresio ætate superiore, aut certe supparem, inde verisimillimum fit; (6) quod Lemosio, summa licet senectate, & vivis erepto, annos totos sex supervixerit Alvaresius, anno duntaxat 1635. vocatus ad superos. At id te, ut Lemosium, Romanarum Congregationum tempore, tiroem, ac junioyrem animo fingeres, in errorem induxit; quod illum anno 1600. Theses Theologicas in Comitibus generalibus, Præfide Francisco Davila, propugnantem alicubi legeris; nec satis animadvertis, ex Prædicatorum Ordinis more, multarum litterarum, annorumque viros, ac etiam Professores emeritos, Theses Theologicas in Comitibus generalibus defendere solitos esse, quos Moderatores Provinciarum, quarum nomine propugnantur, honoris gratia, præfides assident.*

Priorem hallucinationem altera cumulas, dum Lemosium, in sustinendo solemni coram Clemente disputationum onere, Alvaresio sufficentem commiseris, absoluto priori congressu. Ut enim de felicitate Alvaresii clade, que sufficiens Lemosii necessitatem iniecerit, nihil in presentia dicam, de qua plenius sequenti capite sermo erit, illud omnino liquet, id oneris ante ipsum disputationum exordium Lemosio fuisse impostum; illumque nonnisi propter adversam valetudinem primo congressu fide negasse: quo casu, uti & altero non ab simili, (7) succedaneis illi datus est Alvaresius. Facti idem locupletissimum facit Thomas de Lemos Tom. 1. Panopliæ, tract. 6. de P. Molina, cap. 26. *Quadragesima septima publicè coram utroque SS. DD. (Clemente VIII.,*

&c.

& Paulo V.) disputationes habita fuerit: & Censuram coram isdem Congregationes alia quadragesima septem. In quibus omnibus, præterquam in prima, & in altera, QUIA TUNC INFIRMITATE DETINEBAMUR, nos pro Divina Gratiæ efficacitate semper disputavimus.

Cæterum, num adeo in Curia Hispaniensi perditæ auctoritate Jesuitæ forent, ut illorum commendatione Episcopales infulas accipere Dominicanus homo non posset, natalium licet splendore, atque eruditionis laude clarissimus, iis pensandum relinquo, qui, quot inde ad Romanam Curiam commendatitias Epistolas in dies extorquerent, observant; quantaque per id tempus in Hispania molirentur, ex clarissimi Thuani Historia didicerint. Neque vero, in ea strenua machinatione, necesse omnino erat, ut brevi illo temporis, intervallo, quod inter indicatas, & inchoatas primo disputationes intercessit, ultro, citroque Roma in Hispaniam litteræ commearent. sed satis abunde erat, si ab ipsa disputationum indictione, que die 14. Februarii facta est, ad secundam disputationem, ad quam primum Lemosius, a morbo relictus, accessit die 8. Julii, litteris, ultro, citroque commendantis, spatium daretur. Quod quis datum neget, cum quinque ferme mensium intervallum interjunctum sit? Quamquam & hoc Sociis satis, multumque videri poterat, si, cum primum per tempus licuit, gravi, ac permolesto disputatore, per oblatæ dignitatis speciem, absolventur. De reliquo, nihil ejusmodi tentasse nostros, ut Bellarminum, conciliatorem illi Capuanis infulus, Roma procul agerent, (que tua, ut repungas, temeraria criminatio est) perspicuum dedimus lib. 3. Hist. cap. 3. & Ripaldam, a quo mutuum calumniam accepisti, domesticorum etiam scriptorum auctoritate confutavimus.

Nunc illud ejus temeritatis esse dicam, excerptam silabam ex Coronelli Commentariis Clementis Orationem, ad utriusque partis Actores habitam sessionem prima, (1) uti commentitiam, explodere velle, & maxime nomine, quod Molinæ doctrinæ vindices multo sale defricet, ut Pelagianos, occupatumque in eisdem Pontificis animam palam prodant? Certe neminem usque adeo audacem futurum arbitror, qui alteram, hæc ipsa sessione a Pontifice habitam, Orationem in dubium verat, (2) qua nimirum Augustini doctrinam in calum extulit: cum hanc, Clementis ipsius manu exaratam, a fe visam, contententur Philippus Vicecomes, Episcopus Catacensis, in Notis ad cap. 4. libri 8. Augustini Vindicat, & Cardinalis de Noris in Vindiciis Augustinianis, cap. 6. Et tamen in ea perinde Oratione recentiores Moliniani, tanquam fuscitati Pelagianismi rei, traducuntur: *Vannum est, inquit Pontifex, quod a nonnullis dicitur, parari, presentis questionis esse recentioris Theologiæ scholasticæ excogetas: cum nihil contra Divinæ Gratiæ necessitatem, & virtutem, a recentioribus quibusdam nunc afferatur, quod a Pelagianis, & Semipelagianis olim assertum non fuerit: nihilque etiam adversus illas, pro ejusdem Divinæ Gratiæ virtute, atque efficacitate, & necessitate dici oporteat, quod S. Augustinus, ante mille fere, & ducentos annos, non docuerit. Equis vero miretur, Clementem gemina illa Oratione Molinianos exagitate; aut quis harum Orationum alteram futilli illo obtentu suppositam dicat; cum illum a Molinianis opinionibus jam ante id temporis abhorruisse, & in partes Dominicanorum inclinasse, laudati non ita*

pridem Societatis Theologi contestentur? (3) Immo, cum id ipsemet fatearis lib. 5. cap. 53. venisse scilicet illum ad disputationum cæteris, coram se celebratos, animo nonnihil preoccupato?

Neque id abhorret ab integerimo Judice, quem, vacuo affectibus animo, ad judicandum accedere debere, nos mones. Etsi enim, cum primum ad examen, judiciumque accingitur Judex, eam affectum vacuitatem asserere debeat; postquam tamen ad longum tempus protracta lis est, causaque diu excussa, (quod, ante indicatas disputationes, non modo per delegatos Censores, sed & per se fecerat Clemens) fieri omnino non potest, quin in partem dissidentium alteram, pro momentorum gravitate, moveatur. Huc adde, in judicio, de doctrina ferendo, aliam dogmatum, aliam personarum esse rationem. Ac in personas quidem aut odio, aut ira Judicem affici, nunquam licet: verum in dogmata ipsa, recessis in Ecclesiam invecta, iustis pristina Traditionis præjudicia occupari, non licet modo, sed & interest Religionis. Neminemque iis teneri præjudiciis, decet magis, quam Romanos Pontifices, primarios Ecclesiasticæ Traditionis interpretes, sacri depositi custodes, atque sequitros.

At aliud, inquis, Clementis VIII. de Societate judicium fuit, uti ex Cardinali Ossato (4) dicere licet, qui lib. 1. Epistoliarum, Epist. 8. ad D. Villaregium, id sibi ab eo Pontifice de Jesuitis dictum, affirmat: *Hos Patres multum contulisse ad conservationem Religionis Catholicæ, & ubique fuerant, ubi Divinum cultum integrum permanisset. Quare cum ejusmodi Ordines Religionis sulca sint, & columina, fieri non posse, quin Sancta Sedes eorum membra in defensionem, atque tutelam recipiat. Cui illud alterum consonare, ais, a Francisco Suarezio posterorum memoria prodium Tom. 4. de Religione, tract. 10. lib. 1. cap. 8. Clementem, benigne alloquitur Patres, qui ex universa Societate Roma congregati fuerant anno 1600., Societatem brachium dexterum Sedis Apostolicæ appellasse. Quasi vero vagæ illæ, ac generales religiosi Instituti commendationes, Molinianæ de Divina Gratiæ sententia ulla ratione contingerent? Aut quæ, pro tuenda in Galliis Religione Catholica, instaurandoque Divino cultu, adversus Lutheranos, & Calvinistas, pie ac laudabiliter gesserant, ad susceptam Romæ doctrinæ Moliniciæ defensionem aliquatenus pertinerent? Quamquam & hoc ipso lectores ludis, qui, ut misero aliunde argumento vim qualemcumque conciliet, ea Clementi VIII., Cardinalem Ossatum alloquenti, verba tribuis, quæ Cardinalis Aldobrandini fuisse, liquet; nec octava, ut notas, sed decima ad D. Villaregium Epistola recitantur. De là je m'en allai, scribit Card. Ossatus, à l'appartenance de Monsieur le Cardinal Aldobrandin. . . . Il m'a parlé seulement des Jésuites, me disant, que de chasser ainsi tout un Ordre hors d'un Royaume, seroit un trop grand scandale, & en France, & aux Nations étrangères; & même en un temps, que l'on parloit de se reconcilier avec le S. Siège, & d'obtenir l'abolition du passé. Que ces Peres avoient servi beaucoup à la conservation de la Religion Catholique, & par tout, où ils avoient été, le service Divin y avoit été maintenu, & conservé. Que tels Ordres étoient les soutiens de la Religion, le S. Siège seroit contrainct de prendre la protection, & la défense de ses membres. Que si quelqu'un desdits Peres avoit failli, il étoit raisonnable, qu'il fût puni; mais de chasser toute une Religion pour le peccé d'un ou de peu, il ne seroit trouvé bon de personne. . . .*

C

(1) Lib. 4. cap. 18. (2) Lib. 5. sect. 4. cap. 3. (3) Sect. 5. cap. 2. (4) Anno 1600. die 21. Maii. (5) Marsicel. Fontana. (6) Ughellius in Italia sacra. (7) U. p. 23.

(1) Vide lib. 3. cap. 10. (2) Lib. 3. cap. 8. (3) Sect. 5. cap. 2. (4) De Jesuitis, ex Gallia pulsus, agit Card. Ossatus.

C'EST TOUT CE, QUE LEDIT SIEUR CARDINAL ALDOBRANDIN M'A DIT.

Mitto, quod recantas, Innocentii X. Decretum, anno 1654. latum, quo acta Gregorii Coronelli, quæ celebris illa Clementis VIII. ad Religiosos Disputatores Oratio continetur, pro alterutra parte allegari prohibentur; necnon recentis Academiæ Lovaniensis Censuram, anno 1703. districtam in Christophori Frenzii Theſes Theologicas, quibus eorundem Actorum fragmenta nonnulla inserta fuerant. Quem enim sensum habeat Decretum Innocentianum, cui plane congruit Academiæ Censura, prolixè fati ostensum est Parag. 72. Præfationis. Id unum addam ad præfens: Alteram Clementis VIII. de tenenda Augustini doctrina Orationem, non minus Coronelli Actis insertam legi seſſ. 1., quam, quæ nunc a te vellicatur, ad Religiosos Disputatores habita: ut plane, si quid adversus istam ex Innocentii Decreto extundi potest, ne vel ad fidem historiæ citari queat, in illam quoque pari jure colligi possit. Et tamen anno 1667., qui tertius decimus a lato Innocentii Decreto numeratur, Franciscus Macedo, Ordinis Minorum Theologus meritiſſimus, prolixum Oratiōnis hujuscæ fragmentum Enchologio suo inseruit, a Suprema Congregatione Romanæ Inquisitionis approbato, nimirum inter Romanorum Pontificum de Augustino elogium in Clemente VIII. pag. 406. & 407. Ac post ipsum Cardinalis de Noris ejusdem Oratiōnis partem exseripſit anno 1672. in Vindictis Augustinianis, a sacris Imperii Veneti fidei Quæſitoribus approbatis, cap. 6. hac etiam addita notatione: *Orationem hanc, ipsius Clementis manu exaratum, ostendit nobis Illustrissimus D. Philippus Vicocomes Medialanensis, Episcopus Cotacensis: quod etiam restatum reliquit in Notis MSS. ad cap. 4. lib. 8. Augustini vindictis: quod volumus apud me esse.* Hinc novæ, Eleutheri, non eam esse Innocentianam Decreti vim, ut nihil jam ex Coronelli Actis, ad meram rei gestæ fidem, laudari queat; sed ut nihil ex iis ad jus statuendum allegari possit. Quod ille fortassis egerat, in quem Lovaniensis Academiæ Censura districta est.

CAPUT II.

Eleutherii in enarrandis disputationibus, eorum Clemente VIII. habitis, errata historica, calumnia, insuetudines breviter perstringuntur.

Quam superioribus Sectionibus viam institui, hanc porro tenere pergo, nec agitata coram Clemente Molinianæ doctrinæ capita ad incudem revoco; qui non licet redintegrare, sed agitatae litis historiam dare aggressus sum. Satisque fidei meæ consultum puto, si quod Disputationum istarum narrationi præmissi, id denuo lectoris moneam; me scilicet, quæcumque de quinti hujus examinis Congregationibus scripsi; (quæque tu, velut ex me dicta, fidenter arrodas, ac falsi plerumque postulas) Disputatorum scilicet Orationes, de scripto coram Pontifice recitatas, additas ultro, citroque ex tempore argumentationes, frequentes Clementis interpolationes, grandiaque effata, Cardinalium, ac Præfulum interlocationes, Censuram de rebus inibi disputatae lata iudicia; hæc, inquam, omnia ex ipsis Notariis, ab Apostolica Sede dati, Commentariis summatis, atque compendio petiſſe; ipsaque etiam verba, ubi rei momentum postulat, exseripſiſſe, notisque Italicis distinctis. Quare prolixas illas Societatis Oratorum declamationes, quas

(1) Vide lib. 3. cap. 15. & seqq.

integras lectoribus ingeris, ut accitiam, ac desperatam causam eorum in animis erigas; quæque de tuo cavillationibus obiter inseris, ut truncatas, ac mutilatas Disputatorum noſtrorum Orationes eventiles, scholæ Theologis mitto; & pro suscepti muneris parte, ad historica duntaxat errata me revoco, calumnias, insuetudines, quæ quinti hujus examinis narrationem inquinasti.

Atque illud in primis abs te scire, velim, quæ tu fide, quæve perfidia, quod potissimum eo in examine fuit, tacitus prætermittas; totusque narrationis Disputatorum congressibus occupatus, Consultorum conventus quadraginta septem, pari pompa, atque solemnitate celebratos, ubi de re tota, antea disputata, censebant, affectato silentio involvas. Hos etenim, præfente Pontifice, & Eminentiſſimis Pariibus, perinde habitos esse, si minus ex Coronello, aut ex Lemofio, quorum suspecta tibi fides est, at ex domesticis scriptoribus scire licuit. *Finita disputatione*, inquit Joannes Martinez de Ripalda, tom. 2. disput. 113. seſſ. 12. n. 124. *egrediebantur foras Generales cum Sociis; continuoque in eadem Congregatione Censores coram Pontifice, & Cardinalibus, de re, utrinque disserna, censebant, scribente Censuram Secretario, & sub gravissimis penis secretum omnibus præcipiente Pontifice. At post Congregationem septimanam usque ad ultimam, una cum disputatione Theologorum dissolvebatur tota Congregatio; dieque proxime sequenti Censores designati, ad censuram rei, die præcedenti examine, conveniebant: utique coram eodem Pontifice, & Cardinalibus, sicut antea, uti ex Censuram instrumentis perspicuum est.*

(1) Verum, ut tot illi celebrati Conventus silentio mitterentur, calliditatis tuæ fuit; ne, qui damnatam ubique Molinæ doctrinam lecturi erant, confarcinate Historiæ vanitatem illic deprehenderent, dum Molinianorum Actorum declamationes, quæ tanta a te pompa, atque ostentatione de integro referuntur, ac veluti decretoriæ celebrantur, contrariis Romanorum Censuram iudicis cassas, ac fideles pronuntiant, cererent: quæ vero a te leviter attinguntur, ac veluti iuvenes, ac frivole rejiciuntur, Thomistarum Disputatorum Orationes, eorundem cognitorum suffragis gravissimas, firmissimasque cense. Illud etiam nobis edisseras velim, quæ tu fide domesticorum Disputatorum defensionem, de scripto recitatas in cætu, in integrum representes; contrarias autem Thomistarum oppugnationes, pari sermonis prolixitate pronuntias, aut mittas omnino, aut obiter tantum, leviterque perstringas? Nempe veteratoris ars illa est; ut Molinianæ causæ momenta, optima in luce posita, lectores vehementius moveant: contraria autem, leviter pertricta, ac mutilata, vim penè omnem, & robur amittant. Hæc obiter ad promissum: nunc ad institutum accedo, ac singula in Historicis errata dispungo.

Prima itaque disputationis occasione, die 20. Martii, anno 1602. celebratæ, me in sili menciendi crimen vocas, quod scripserim, Societatis Præpositum Generalem palam illic Molinæ doctrinam de causis, ut ajunt, parialibus, nonnullasque Valentia reſponſiones improbaſſe; ac tum postea, petita venia, a congressu discessisse. Quidni vera? Cum horum Auctor mihi sit Secretarius, cujus ex Actis priora duo, ne finxisse videri possem, sillabatim exseripſi, ac Italicis etiam notis distincti, uti cuique res obvia fieret. Tertium, quod ab omni veri specie remotissimum putas, hiſce apud eundem Notarium verbis eſſeſſetur: *Que dum inter se muſſarent, accessit Generalis*

valis Societatis ad SS. Dominum nostrum, & petita facultate, discessit a Congressu. Quin tu igitur in Congregationis Notarium vertis iras? Verum in Historicum debacchari, fatius putas. Ac, ne quid calumniæ deſit, Historiæ meæ textum male confuſis, ut admiffam antologiam exprobes: quasi post narratum Præpositi Generalis discessum, mox mei velut oblitus, eundem una cum Valentia, finita disputatione, discedentem inuenerim, hiſce mihi verbis aſſiſſis: *Inducto per Summum Pontificem silentio, Congressus solutus est, Prædicatoribus ac Jesuitis foras dimiſſis.* Lectorum oculos testor, itane continuata periodo, Congregationem, Prædicatorum simul, ac Jesuitarum amoborum discessu, finitam inuenerim: Annon potius nude, ac simpliciter scripserim: *Inducto per Summum Pontificem silentio, congressus solutus est:* ac subinde novum paragraphum exortus, aliud narrandum aggressus sim sequentibus verbis: *Prædicatoribus, ac Jesuitis foras dimiſſis, sanctum fuit, ut speciales Molinæ sententiæ, cum S. Augustini doctrina conferre, pro sequentibus congressibus præfigerentur.* Ut nimirum ea Prædicatorum, ac Jesuitarum dimiſſo, vage tantum, ac sine distincta temporis nota recenseatur; nec ad congressus solutionem, quasi tunc una simul egressi sint universi, necessario referatur.

Sed nugæ vitilitigoris illa sunt: graviora videntur, quæ de prima disputationis exitu comminiferis, in qua, loco Lemofii infirmitate detenti, scholæ Thomisticae partes egit Didacus Alvares. Illum a Gregorio de Valentia ita misere deſectum, deviumque, ais, ut commiserationem sacro Confessui, ipſique Pontifici moverit: unde Generali Prædicatorum Præposito necessitas orta fit Lemofii in ejuſdem subinde locum ſufficiendi. Verum, ut est Lemofii in locum Alvaresii ſubrogati fabuloſa, ita & commentitia deſectio, quæ ſubrogandi neceſſitatem iniecerit. Jam enim, ut ſuperiori capite planum fecimus, ante ipſum Disputationum exordium deſectus erat Lemofius, qui totius concertationis onus ſuſtineret ſolus; nec, niſi intercedente agritudine, factum est, ut prior certaminis aleam ſubierit Alvaresius. Qua porro eruditionis laude, Molinianæ Disputatoris impreſſionem exceperit ille, ac propularit, compertum est ex ipſa Notarii narratione, quam integram, & ad verbum deſcribere libuit, tom. 2. Gallice Deſenſionis, a pag. 302. ad 313. ut hoo uno ſpecimine noverit univerſi, quam optima fide, habiturum Disputationum historia, ex Notariorum Actis ſummatis a nobis expreſſa ſit. Tantumque abest, ut commiſerationem ſacro Confessui, ipſique Pontifici moverit, ut potius admirationem: qua excitus, qui præſens tunc aderat, Cardinalis Burghelius, Clementi ſubinde ſuffectus, eundem Archiepiſcopum Tranenſem renunciavit: *Cujus promptum in Divinis ſcientiis acumen admiratus Paulus V., Pontifex Maximus, illum libenter ad Archiepiſcopalem Tranenſem Cathedram ſublimavit anno 1606. die 19. Martii.* Ita Ferninandus Ughellius, (1) teſtis ut externus, ita partium affectu vacuus. Nec aliud profecto innuit, quæ a te proferuntur, conjecturæ, aut deſectum, deviumque primo congressu Alvaresium ostendunt; ſed meram nugandi, tricandique libidinem produunt. Quid enim, rogo te, quod Alvaresio differenti ſuppætiæ interdum tulerit Prædicatorum Generalis: quod, ſoluto Congressu, ſilentium de rebus inibi geſtis indixerit Pontifex: quod ad tertium, & amplius menſem ſecunda Congregatio prorata ſit? Quid hæc inquam, ut Gregorio de Valentia potius, quam Alvaresio favide pugnae for-

tunam, inferri poſſit? Namque & Gregorio differenti ſuppætiæ etiam tulit Societatis Præpositus Generalis; immo ejuſdem quandoque dicta improbavit, cui niſi ſimile accidit Alvaresio. Silentii lex utrique parti, ac ipsis etiam Cardinalibus, atque Cenſoribus indiſta eſt; ac de rebus quæcumque Congregatione geſtis, atque tractatis: nec ad occultandum, ſi quod eſſet, Disputatorum dedecus, ſed ad pacem utrinque fovendam, retinendamque iudicii dignitatem. Dilatio demum ſecundæ Congregationis ad tertium, & amplius menſem, non modo ex inſaulto prioris exitu ortum non habuit, ſed ſolis Molinianorum artibus tribuenda venit, qui juſta Pontificis ſpecificis diverſiculis eſſugere, ac declinare admiſi ſunt. Quod nos lib. 3. cap. 2. dedimus manifeſtum, non fictis, ut innuis, fabellis, ac ſomniis, ſed deſloratis ſumma fide, ac ſæpe etiam ad verbum exſcriptis Secretariorum Commentariis; ubi, quæ paucis verbis hoc in capite recenſuimus, multo prolixius continentur.

Difficultatem habere videtur aliquam, quod de primo illo Congressu notatum legimus in Actis Lemofii, non ita pridem publicatis, pag. 62. *Unum in iſta prima Congregatione fuit publicum, quod Generalis Jeſuitarum in publico ſuo Collegio, eadem Congregationis die, ipſa finita, omnibus convocatis, ſumma animi lætitia, laudes P. Gregorii de Valentia decantabat, & inter alia illud dicebat: Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri. (2) Sed gaudium illorum fuit adinſtar puncti: quia Dominus majeſtatis, cauſam ſuam propriam deſendens, in ſecunda Congregatione, & omnibus ſequentiſſimis, ſecit, eos lugere, & contriſtari; & deſenſores, & prædicatores gratiæ Dei, maxime affectos ex prima illa Congregatione, ſumma lætitia recreavit: ſumens ad hoc, ut ſolet Deus, minimum instrumentum, ut totum Deo detur, nec gloriatur homo in ſapientia ſua.* Cui hæc altera Clariffimi Pagnæ obſervatio congruit, in Diario, ad ſecundam, coram Clemente habitam, Congregationem: *Die Lune 8. Julii celebrata eſt ſecunda Congregatio, præſide Pontifice, & ad hanc cepit ire Thomas de Lemos. Sic enim convenire iudicatum eſt, quod hic eſſet vehementior in diſputando, quam Pater Alvares, ad reſtrandum multiſſimum Valentia. At, ſi quid rei fecit, perpendatur, ſat cito perſpectum erit, nihil ex gemina notatione colligi poſſe. Ita quippe res cecidit: Congregationi primæ intereſſe Lemofium, vis morbi non ſivit, adeo ut Alvaresius, perdoctus ille quidem, ſed Lemofio tamen inferior, ejus in locum ſufficiendus fuerit. Atque id unum in cauſa fuit, cur tanto Jeſuitæ gaudio, tanto Dominicanæ dolore afficerentur. Tali quippe permutatione lucrum illi, iſti jaſturam faciebant: non quidem, quod Alvaresius prima illa diſputatione non ſuperaverit adverſarium, cum hanc illi victoriæ palmam adjudicent Notariorum Commentarii, quorum ſummam expreſſimus loco ſuo: (3) ſed quod rem non eo gloriæ cumulo confeſſiſſet Alvaresius, quo facturus erat Lemofius, ſi eam ſubire aleam datum eſſet. Convaluit aliquanto poſt Vir eximius, & ad ſequentes diſputationes a Generali Præposito adductus, ita domeſticam, ſeu verius Divinæ Gratia cauſam oravit, ut charo ſteterit adverſariis quod ex præterito morbo, & abſentia gaudium cæperant. En quid Lemofius, quid Pagna ſuis illis adnotationibus unice velint. Nam quod Gregorium a Societatis Præposito pleniore ore laudatum, addunt, ut primum domi redditus eſt, neminem pato movebit, ut idcirco Moliniano Athletæ certaminis palmam*

(1) In Italia ſacra. (2) Judith. c. 15. (3) Lib. 3. Cap. 10.

mam adjudicet: cum ea Thraſonum fit indoles, ut fracti licet, luxuriant, tumidiuſſefferantur, palamque epicinium canant. Fruſtra porro interpretationem illam noſtram, Tom. 2. Gallicæ Deſenſionis, capite ultimo inſinuatam, contortam, ac longe ſine fundamento accerſitam appellas; quod nihil de illo morbo Coronellus, nihil Pegna, nihil Lemofius ipſe meminert. Huius quippe diſertam mentionem iniecit Lemofius, ſuæque abſentia cauſam attulit in Panoplia, Tom. 1. tract. 6. cap. 26. *Quadrageſima ſeptem publice, coram utroque Sanctiſſimo Domino, (Clemente VIII. & Paulo V.) diſputationis habere ſuere. & Cenſuram coram iſdem Congregationibus alia quadrageſima ſeptem. In quibus omnibus, præterquam in prima, & in altera, (1) QUIA TUNC INFIRMITATE DEMITEBAMUR, nos pro Divina Gratia efficacitate ſemper diſputavimus.*

Atque hæc de primo congreſſu, ſub ipſis Clementis oculis habito. Cætera eodem orationis textu, præter rem, & inſtitutum aſſuta, ut alia a nobis alibi obſervata cavilleris, ſomniantis verius ſunt, quam ſcribentis: quippe qui, ut mihi ſomnia, quæ ſincerim, petulantius exprobes, ea mihi audacter aſſingis, de quibus nec per ſomnium cogitavi. Equo enim Hiſtoricæ loco, imperte, ut loqueris, ſuxit Hiſtoricus, Litteras a Jeſuitis, ad Moliniana doctrinæ commendationem, a nonnullis Theologis Hiſpaliſibus impetratas, ea mente, eoque conſilio corraſas eſſe, ut intermiſſendis diſtinctis diſputationibus occaſionem Pontifici præberent; quas tamen die 15. Januarii datas liquet, priuſquam habenda coram Pontifice diſputationes indicerentur? Nihil enim, ubi eas Epistoſas memorare contigit, (1) de intermiſſendis illa arte diſputationibus inſinuavi; ſed emendatæ duntaxat innui, ut Moliniana doctrinæ auctoritatem conciliarent; ejuſque cauſam apud Summum Pontificem juvarent. Nec feliciter cenſuram virgam exerceo, dum recitatis a me Guillelmi Eſtius (3) ad Archiepiſcopum Armachanum Epistoſas in falſi ſuſpicionem trahere niteris. An non ſint, inquis, ex parte ſuſpiciæ, dubitare me facis? partim quia in his tribuitur Armachano titulus Illuſtriſſimi, non ſolius ex ætate tribui Episcopis; partim quia Eſtius habet alibi multa, quæ a Molinae placitis non valde abhorrent. Nam primam Molinae propoſitionem, quæ in examen adducitur, tradit in 2. Sent. diſt. 26. §. 15. aſſens, Opera, quæ tantum moraliter bona ſunt, fieri poſſunt ab homine etiam lapſo, ſine gratia Christi. Item ibidem diſt. 26. §. 38. conſentit Molinae quoad naturalem Dei dilectionem. Et ibidem §. 40. quoad naturalem obſervationem legis: & §. 44. quoad naturalem tentationum victoriam. Denique §. 34. partem primam propoſitionis Moliniana quinta, ſenſu longe duriore, attribuit tribus Thomiſtis. Immo ſerio ne, an joco iſthæc a te congerantur, dubitare me facis. Quis etenim neſcit, ſolitos fuiſſe ea ætate temporum Archiepiſcopos, & Episcopos Illuſtriſſimi titulo in officioſis præſertim Epistoſis ſalutari? Quod nos multis exemplis offendimus ſect. 3. cap. 5. ubi de Cardinalis Baronii ad Viennensem Archiepiſcopum Epistoſa fermo fuit. Aut cui forte exploratum non erit, Guillelmum Eſtium procul a Moliniana de gratia, & prædeſtinatione, opinionibus abiſſe; ſi vel leviter reputet, celebrem Duacensis Academiæ Cenſuram, ab eodem, totius Theologi Ordinis nomine, fuiſſe editam; ejuſdem Theologiæ tradationes, iis in Epistoſis indicatas, evolvent? Neque referret, aut ullum inde, ad affi-

candam iis Epistoſis ſuſpicionem notam, argumentum extendi poſſet, ſi forte citatis a te locis cum Molina ſentiſſet Vir celeberrimus, de viribus liberi arbitrii ad bonum morale ſine gratia ope perſiciendum: cum nihil eo de argumento, datis ad Archiepiſcopum Armachanum Epistoſis habeatur; ſed de ſola gratia efficaciam, gratuitaque prædeſtinatione, adverſus Molinae Concordiam, fermo fiat.

Illudis tamen, ac viro ſummo imponis, procul a Molinae placitis abeuntis, locis ipſis a te laudatis, de viribus liberi arbitrii ad morale bonum ſine gratia perſiciendum. Ait ille quidem lib. 2. Sent. diſt. 26. §. 15. Opera, quæ tantum moraliter bona ſunt, fieri poſſe ab homine etiam lapſo ſine gratia Christi: qua de re nemo noſtrum Molinae litem intendit. Verum huius generis opera, veræ, propriaque virtutis moralis actus eſſe, qua de re Molinae intentata lis eſt, non modo non aſſerit Eſtius, ſed negat aperte, diſt. 41. ad quam lectorem mittit, uberiorem hujuſce quaſtionis tradationem habiturus: §. 3. Ex his igitur apparet, eas inſidelium actiones, quæ diſto modo ſunt, non tantum non eſſe peccata, ſed & moraliter licet imperſecte, bonas eſſe. Non abſimiliter de dilectione naturali: ſcribit ille quidem diſtinct. 26. §. 38. poſſe hominem lapſum ALIQUO DILECTIONIS MODO Deum ſuper omnia diligere, ex ſolis naturæ viribus: quo certe capite nemo Molinae errorem locaſſet, ſi eos ſibi fines circumdeſiſſet. At quod eum dilectionis actum abſolutum dixerit novæ Conciliationis Architectus; (4) eodemque illo ſimul involvi voluerit propoſitum abſolutum ſervandi in genere præcepta omnia, illud vero tomachum movit; totique nervis impugnat hoc ipſo in loco Guillelmus Eſtius, ſtatute conclusionis ſenſum aperiens: „Sciendum eſt, nec iſtiusmodi dilectionem dignam eſſe nomine veræ dilectionis, ſecundum id, quod paulo ante citavimus ex Auguſtino: nec ſimpliciter eſſe dilectionem Dei ſuper omnia, ſed tantum ſecundum quid; nec ullo modo vocari poſſe dilectionem ex toto corde. Solet autem vocari inefficax, utpote procedens a voluntate inefficax, qua nimirum ſic Deum diligit homo, ut tamen non propterea STATUAT PRÆCEPTA EJUS OBEDIRE. Nam tunc diligit Deum efficaci voluntate, quando ſtatuit deliberate, Deum, & cultum ejus omnibus aliis bonis antepone: ita ut eum offendere nolit propter alia bona, quæ diligit. Atque hæc ſimpliciter, & proprie eſt dilectio Dei ſuper omnia; de qua ſit hæc poſtrema propoſitio: NON POTEST HOMO LAPSUM SOLIS NATURÆ VIRIBUS DEUM DILIGERE SUPER OMNIA, NEQUE UT BONUM SUUM BEATIFICUM, NEQUE ETIAM UT AUCTOREM NATURÆ, NE QUIDEM PUNITO TEMPORIS.“ In hunc ferme modum de legis naturalis obſervantia diſputat Vir eruditus §. 40. Statuit ille quidem, poſſe hominem in ſtatu naturæ corruptæ, ad breve aliquod tempus, ſine gratia, ſervare omnia præcepta legis naturæ, quæ ſervanda per idem tempus occurrunt. Cujus hanc rationem aſſignat: quia præcepta legis affirmativa non obligant ad ſemper, nec omnia occurrunt ſimul implenda; præcepta vero negativa ſervantur, nihil agendo, ut illud, non occides: poſſet autem homo ad tempus aliquod, quoad hujuſmodi præcepta, ſe negativæ habere. Verum hæc omnia temperat & veſtigio ſubjungens: præſertim nulla in contrarium occurrente tentatione. Ex adverſo Ludovicus Molina vires ad id naturales ſuppeterit ait, (5) ac etiam ad ſuperandam quancunque magnam difficultatem,

tatem, quam pro ſervanda eo ſolum inſtanti lege naturali neceſſe ſit vincere, etiamſi ea de cauſa mors ſit ſolvenda. Quam exorbitantem, ut mirus loquar, opinionem multo luculentius impetit Guillelmus Eſtius §. 44. quo tu illum, Molinae roconſententem, commiſiſteris, circa naturalem tentationum victoriam: „Quarta propoſitio, inquit ille: Nulla gravis tentatio peccati poſteſt ab homine ſuperari per ſolas naturæ vires ſic, ut in peccatum non inducatur: quia natura humana, etſi ad ea præſtanda, quæ ſunt legis naturæ, non proſus impotens eſt, valde tamen ex peccati corruptione debilis eſt, atque inſirma. Quo ſit, ut nec difficiliora legis mandata ſervare, nec graviore tentationes ſuperare poſſit, niſi ſpecialiter a Deo adjuvetur.“ Super eſt prima pars propoſitionis quintæ Moliniana, quam tribus, ut aſſens, Thomiſtis attribuit Guillelmus Eſtius §. 34. nimirum: Liberum arbitrium, cum ſolo conſuſu generalis Dei elicere poſſe actum attritionis naturalem. Verum ſic eam ille Thomiſtis nonnullis attribuit, ut tamen erroris apertiffime damnet: „Nec illud prætereundum, inquit, eos etiam ab errore excuſari non poſſe, qui docuerunt, attritionem, quæ ſola cum Sacramento ſufficit ad obtinendam gratiam juſtificationis, haberi poſſe ex ſolis naturæ viribus. Quæ ſit opinio Dominici Soto, Melchioris Cani, Franciſci a Victoria, & aliorum quorundam. Sed eam bene, & docte reſutat Medina, ſexto articulo memorato, ex Scriptura, & Conciliis Arauſicano, & Tridentino.“ Ex adverſo Molina, diſp. 14. mem. 1. & 5. non modo primam illam quintæ propoſitionis partem, ſed totam, quanta quantæ eſt, aſſertionem, D. Thomæ eſſe peſſe, contendit, ac, corraſis undequaque teſtimoniis, offendere fatagit: Nimirum „Liberrum arbitrium noſtrum, cum ſolo conſuſu generali Dei, elicere poſteſt, non ſolum actum attritionis naturalem, id eſt, dolorem de peccatis, ex Dei timore, cum propoſito amplius non peccandi lethaliter, ſed etiam actum conſuſum attritionis naturalem, qui idem propoſitum non peccandi amplius lethaliter includat.“ Quin etiam huic opinionis veterum Theologorum neminem adverſatum, ſidenter ait: Medinam ejuſdem conſuſuſorem, ab Eſtio commendatum, longe a vero abiſſe, dictatoria auctoritate pronunciat: Concilii Tridentini Decretum, quo hæc erroris aperte convinctur, quaſitis cavillis, enervat: ac tum multis ulro, citroque diſputatis, ita demum ſtatuit: Antè majorem Eccleſia declarationem non eam audeo errorem appellare.

Næ tu itaque lepidum caput, qui ea nobis Eſtius loca vendites, tanquam a Molinae placitis non multum abhorreat? Placuit, ea ſigillarim expendere; non modo ut planum fieret, niſi inde extendi poſſe, unde data adverſus Molinae doctrinam Epistoſta in ſuſpicionem ſuſpicionem adduci poſſint; verum etiam ut eo brevi ſpecimine omnes intelligant, quam temere reliquos ferme Theologos Molinae ſuffragatos eſſutias, in ea de viribus liberi arbitrii graviffima Controverſia. Quod enim in Eſtio comprobavimus, id in cæteris ferme omnibus experiri, facile fuerit, ſi in cuiuſque ſententiam minutatim inquirere animus eſſet. Qui plura volet, Tomum primum Gallicæ Deſenſionis adeat, ad cap. 15. a pag. 354. ad 362. ubi Dominicus Soto, Melchiorum Cano, Franciſcum Victoria, qui præ cæteris Molina eo in capite ſuffragati exiſtuntur, in reſtam ſententiam expoſuit. (1)

Sery Tom. II.

(1) Theologos illos omnes in reſtam ſententiam exponit Lemos in Panoplia Tom. 3. lib. 3. part. 2. cap. 27. 2) Idem docet Did. Alvarez lib. 1. De Auxiliis diſp. 2. & 3.

Continuatur hiſtoriarum errorum, & calumpiarum recensio, & conſutatio.

IN tertio Congreſſu, die 9. Julii habito, illud te male habet, quod ſcripſerim, Lemolium multis Auguſtini teſtimoniis offendere, Molinam nihil a Semipelagianis diſceſſiſſe, tamen fidem, nature viribus adſcriptam, nihil ad ſalutem valere, diceret, niſi præcedente illuſtratione ſupernaturali in intellectu, & motione pariter ſupernaturali in voluntate, quia, ut ajebat Lemofius, has etiam excitationes conſtituebant Semipelagianis, (& forte Pelagius ipſe illas etiam conceſſit) & nihilominus fuerunt damnati, quod ponerent re ipſa initium fidei Chriſtiane eſſe ex nobis. Atque adeo, cum Molina id omnino tribuat naturali bonis ſcultati, quod Semipelagianis illi tribuebant, non eque vindicatur a nota erroris, conſtituendo illas ſupernaturales illuſtrationes, quas etiam Semipelagianis admittent. Quibus Lemofii verbis, ex Hiſtoria mea recitatis, tritam cantilenam occentat; Quis non adverteat, Jansenismum in his verbis aliqua ex parte reſeſcere? Nempe, quod ad priorum partem quartæ propoſitionis Janseniana, ea tibi Dominicanis Diſputatoris argumentatio incidere videatur: Semipelagianis admittent præveniētiæ gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei.

Quorum, rogo te, tam invidioſa criminatio? Forte, ut nihil hujuſmodi dixiſſe Lemofium evincas, cui Jansenianam argumentationem aſſignere, nefas ſit? At nihil nos eo in capite affinxit Lemofio, non modo liquet ex Actis, unde laudata a nobis verba ſillabam expreſſa ſunt; verum etiam ex ejuſdem Panoplia Divina Gratia, ubi interioris illuminationis, & excitationis gratiam, a Semipelagianis, immo & ab ipſo Pelagio tandem admiſſam, perinde contendit: (2) nimirum Tom. 1. tract. 1. de Pelagio, cap. 9. cujuſ titulus eſt: „Quod Pelagius tandem internas ſupernaturales admittent revelationes, ſuadentes, & ostendentes tantum: Initium vero: Quicumque in doctrina Sancti Paris Auguſtini fuerit vel mediocriter verſatus, & attentione aliqua egregium illius librum de Gratia Chriſti contra Pelagium, & Cæleſtium perlegerit, minus poterit dubitare, quod Pelagius tandem, argumentis preſſus, quæ ex Divinis Litteris ei ſancti Patres opponerant, admittent interiores quaſdam ſupernaturales revelationes, a Deo homini immiſſas, quæ oſtenderent, ac revelarent, quid homini eſſet agendum. Et tract. 5. de Caſſiano, & Fauſto Semipelagianis, cap. 9. Omnis gratia præveniētiæ, a Semipelagianis admiſſa reſpectu quorundam actuum humanorum, ſola interior illuſtratio, & excitatio erat: nec aliam effectivam bonæ voluntatis unquam receperunt. Quin etiam conſecutionem, ex eo principio ductam in ſolemni Diſputatione, totaque argumentationem, adverſus Moliniana eſſormatam, qua illos eodem cum Semipelagianis graſſe vitulo, demonſtrabat, iſdem ferme verbis inſtaurat hoc ipſo cap. 9. „Cum Moderni dicant, gratiam præveniēntem, quatenus præveniēns eſt, ſolum moraliter excitare, ſuadendo, invitando, alliciendo, ut ex eorum aſſertionibus, infra adducendis, aperte conſtat; & hæc præveniēns gratia eadem ſit in terminis, quam Caſſianus, & Fauſtus prius tradiderunt; quæ tamen, ut manet expoſitum, non recedebat a lege, atque doctrina,

(1) Diſp. 25. (2) Lib. 3. Cap. 3. (3) Cap. 4. mem. 1. 2. & 6. §. 9. Forte mirabitur, addito in Editione Antv.

na, etiam fit manifestum, Modernos prædictos veram prævenientem gratiam non admittere, sed tantum aliquid per modum legis. Quid ergo? Forte eo tendit invidiosa criminatio, ut Lemosius ipse, cui nihil affictum fuisse, liquet, Janseniani erroris inculpatur; quod priorem quartæ propositionis partem sua illa argumentatione præformavit? Quid itaque memet, meosque, quos fingis, in scribenda Historia adutores Jansenii infirmas, qui quod ille disputando contendit, simpliciter & cum fide retulimus? Quæcumque tamen tua illa calumnia petitem velis, salva perinde res est; ac seu Lemosio, seu mihi Jansenium ob id unum affricis, tam ille commentitius esse convincitur, quam qui a te finguntur scribendæ Historiæ adutores. Ac primo quidem, falsum omnino est, recitatur a me Lemosii Argumentum ad priorem Jansenianæ propositionis partem revocari, aut quidpiam cum illa habere commune. Quotquot enim priorem Jansenianæ propositionis partem, tametsi mere historica sit, Pontificia Censura petitam voluit, hanc eo maxime nomine confixam existimant, quod prævenientem, & interiorem gratiam, a Semipelagianis admittam, poneret, ad ipsum etiam initium fidei; is enim Semipelagianæ sectæ scopolus erat. Porro Lemosius prævenientem, & interiorem gratiam a Semipelagianis duntaxat admittam, docet, ut fides, naturæ viribus inchoata, ad ordinem supernaturalem provehatur, profique ad salutem æternam: tantumque abest, ut eam ad ipsum etiam initium fidei a Semipelagianis admittam, dixerit, ut illos potius idcirco damnatos dicat, quod poneret re ipsa initium fidei Christianæ esse ex nobis. Ad hæc, tametsi ultro concederemus, Lemosium gratiam prævenientem, & interiorem, a Semipelagianis admittam, voluisse, ad ipsum etiam initium fidei; inique tamen Viro summo Janseniani erroris notam ingereres: cum nemini exploratum non sit, Theologos primæ notæ, ac summe Catholicos existisse, post latam etiam in Jansenium damnationem, qui Semipelagianos, aut omnes, aut certe partem illorum alteram, interioris inspirationis gratiam prævenientem ad initium honorum operum, ac ipsius etiam fidei, admittam, contenderint; prioremque Jansenianæ propositionis partem, quod mere historica sit, Pontificia Censura nequaquam insultant, existimant. In quibus profecto sunt Franciscus Macedo in Opusculo, cui titulus, *Mens divinitus inspirata* SS. D. N. Innocentio X. art. 5. Joannes Baptista Gonet, disp. 2. de hæresi Semipelagianæ, art. 3. Vincentius Contensonius, lib. 8. Theol. disert. 3. historica de erroribus circa gratiam §. ultimo, Seraphinus Piccinardus Tom. 3. de approbatione doctrinæ S. Thomæ, lib. 5. quest. 3. art. 3. §. 6. Carmelitæ Salmanticenses, strictioris instituti, disp. 1. proœmiali de gratia, cap. 5. §. 3. Vincentius Baronius, de vera, & unica mente SS. Augustini, & Thomæ, disp. 2. sect. 2. §. 3. & seq. Gummarus Huygens, in Theibus anni 1683. die 5. Februarii conclus. 4. Antoninus Massouliens, Tom. 2. *Divi Thomæ, sui interpretis*, disert. 4. quest. 3. art. 7. Quos omnes sibi anteponi, haud ægre ferret Natalis Alexander, cuius mihi contrarium suffragium ostentas; (1) etiam, quæ laudatis Thomistis adversa docuit, ne molliculus Sociorum aures offenderet, epistolari denunciatione non infirmasset. Quemadmodum & nuperi illi, abs te laudati, Theologi Lovanienfes, (2) qui gratiam interiorem, ac prævenientem, qualem Moliniani tradere solent, a Semipelagianis admittam, negant, moleste ferre non possunt,

(1) Vide supra sect. 4. cap. ultimo. (1) Auctores Censuræ anni 1703. in Theses Christophori Frenz.

si suos illis majores anteponamus, ita in celeberrimæ Censuræ Justificationis differentes part. 2. pag. 265. Editionis Parisiensis, anni 1641. *Docent ergo Professores, (Lessius, & Hamelius) si dem eatenus esse Dei donum, quia non modo liberum arbitrium dederit Deus, quo credere possumus, sed interius etiam illuminet, moveat, excitet, pulset, ut predicatæ veritati acquiescamus: acceptationem vero, (quæ non aliud, quam fides, est) Liberi Arbitrii esse. Nec alio sensu credendi possibilitatem Deo, fidem libera arbitrio, Massilienses tribuisse videntur. Siquidem hanc possibilitatem, non ex solo, modoque libero arbitrio stabebant, sed adjecto etiam, non modo externa predicatione, sed interiori etiam revelatione, illuminatione, promissorum excitatione, ac minarum pulsu. Quemadmodum in Censuræ Prefatione, hanc ipsam possibilitatem Pelagianam etiam intellexisse, ex Augustino docuimus.*

Eccur ergo, exclamas, circa initium salutis, & fidei hæretici habiti sunt Massilienses, si interna inspirationis gratiam, ad id operis necessariam, agnoverit? Responsum negare fas fuerit: satis enim ad propulsiandam Jansenii calumniam haberi debet, si id unum sanctæ, ac religiose profiteamur, non idcirco fuisse illos hæreticos, quod vellent, gratiam, ad singulos actus necessariam, esse talem, qui post humana voluntas resistere, vel obtemperare. Quod utique certa fide credimus; cum quævis gratia ponatur esse, etiam efficacissima, huic humana voluntas & obtemperare, & resistere possit. Cæterum, quo demum in capite hæretici fuerint, ad Jansenianas controversias nihil attinet. Dicam tamen, ne pedem referre videar, in hoc illos fuisse hæreticos, quod gratiam, ad initium salutis, & fidei necessariam, negarent, esse auxilium quo, & secundam propositionem, quæ Augustinus cum Ecclesiæ Catholica ad singulos actus, atque ad ipsum initium fidei necessarium predicabat. Hoc enim semel negato, consequens erat, initium fidei a nobis, non ex Dei dono esse; ex libero arbitrio sobolescere, atque ex bono naturæ usu proficisci. Quod plenus a nobis ostensum est, lib. 4. cap. 4.

Iis in nostra tertii congressus narratione temere vellicatis, in Acta Lemosii nuperime publicata stilum veris, ubi Pontifex, ita in Jesuitas stomachatus, inducitur pag. 194. „ Vos vultis, quod voluntas, infirma per peccatum, possit assentiri revelatis, ut revelatis, & quia sunt, revelata. „ *Qui de la maggiore bestemia, e la più grande heresia, che sia nella Chiesa. Qu' an fatto qu' este novità nella Chiesa, qu' an fatto, se no perturbata tutta? Quibus in verbis, fabulam, totum Ætopum olentem, contineri, vis; quod plane incredibile sit, Clementem VIII., Aldobrandina Domo oriundum, adeoque Etruscæ faciundie peritissimum, loqui tam invenite potuisse. Quid-ni verius totum Orbilium oleat tua illa inepta Censura? Quasi vero tam labili, futitilique momento, affictam Clementi sententiam, suspicari liceat: ac non potius, si quæ in recitata phrasim Italicam vitia irrepererint, ea partim in Auctorem Hispanum, novumque in Italia hospitem, partim in Gallum Typographum referendi debeant? Eo vel maxime quod, non orationis, sed orthographiæ errata sint. Ita quippe, retento Etrusco nitore, scribi debuit: *Qui de la maggiore bestemia, e la più grande heresia, che sia nella Chiesa. Che han fatto queste novità nella Chiesa, che han fatto, se no perturbata tutta? Quasi diceret: Hic est omnium, quæ in Ecclesiâ irreperere, blasphemiarum, & heresum maxima. Quid, queso, ex iis novitàibus enatum, quid, inquam,**

quam, nisi totius Ecclesiæ perturbatio? Quam vero ad hujusmodi lapsus proni sint Auctores, atque Typographi, quoties aliorum sententias peregrina lingua describunt, tu nobis exemplo eris; qui paucula illa Clementis verba, a Lemosio (1) jam, illiulque Actorum Typographo ex parte corrupta, transcribens ad editi Codicis fidem, novos errores, ex Italicæ linguæ ignorantia, addidisti. (2)

In quarto congressu, die 22. Julii celebrato, admittam a me antilogiam, effutis; quod illic Lemosium fatentem inducam, Semipelagianos ob id esse damnatos, quia actus pios, quos Gratia Divina non excitaret, naturæ viribus tribuebant: cum tamen superiori congressu contenderit Lemosius, Semipelagianos, ac forte Pelagium ipsum illas supernaturales excitationes admittam ad initium fidei. Calumnia, ex dictis paulo ante, elisa est. Planum quippe fecimus, Lemosium, superiori congressu, interioris illustrationis gratiam, a Semipelagianis admitti, non contendisse, ad ipsum initium fidei, sed ut fides, naturæ viribus inchoata, ad supernaturalem ordinem evehatur. Quamquam si de ipso initio fidei locutum Lemosium, fateremur, omnia perinde congruerent. Stant quippe, ut supra monuimus, ista duo: Semipelagianos, ad ipsum etiam initium fidei, internas illustrationes, atque excitationes admittam, versatiles tamen, atque ex humanæ voluntatis assensu pendulas quoad effectum; simulque naturæ viribus tribuisse initiales illos pietatis, ac fidei actus; quod illos Divina Gratia, per modum auxilii quo, & secundam propositionem excitari, atque produci pernegaret: eaque de causa damnatos esse ab Ecclesiæ Catholica, prædicti auxilii necessitatem, ad ipsum etiam initium fidei, postulante.

In septimo congressu, die 19. Augusti habito, ea tibi stomachum movit adnotatio, a nobis initio citata: „ Gravi, ac prolixo sermone exorsus est Clemens VIII. quo disputantibus nimium concertationis ardorem, & contentionem objicit; quasi quæ viros religiosos, in hisce præsertim fidei controversiis, minus deceat. Patribus Societatis improbravit, quod, post oblatam olim S. Augustini citationem farraginem, quæ ad præsens initium nihil, aut parum faciebat, cum jam de conferenda S. Augustini, & Molinæ sententia tractandum esset; Augustino pene dimisso, ad scholasticos Doctores disputationem convertissent. Quibus tamen diligentius inspectis, unicum Gregorium Ariminensem (cujus sententia jam olim ab omnibus rejecta fuit) invenerat Sanctitas Sua, qui sextæ Molinæ propositioni utcumque favere videretur. Quibus in verbis, si unquam alibi, apparere, ais, audaciam nostram, & malam fidem, qua, cum injuria Pontificiæ dignitatis, hunc Clementi VIII. sermonem affinxerim, quo nihil insulsius, nihil fallius excogitari possit. Vah nugacissimum simulationis artificium! Nempe, si quod Clementi verbum excidit, molliculis auribus minus gratum, quod tamen, utpote sacro ex ore solum, reselleret, pudor sit; aut si quæ ille adversus Moliniana commenta, inter disputandum, edisserit, objicit, intervarius, in quibus, quod Pontificis effata fuit, cavillari, suppeditat; ea tu, velut a me ipso dicta, suggillas; ac etiam, quod iniquus est, ficta contendis: tametsi ex Notarii tabulis sillabatum excerpis sint, ac Italice etiam, ne quis dubitet, caractere distincta. Quis simulatum ludum non videat, rideatque? Quandoquidem autem istud præ cæteris audaciæ, ac male fidei

Serry Tom. II.

nostræ specimen esse, vis, ut hinc in aperto sit, plurima in Historia nostra Clementi VIII. affingi, tanquam ab eo in his Congregationibus prolucata sint, (sic quippe latine loqueris,) quorum ipse auctor sit, aut si, quos mihi in componenda Historia comministeris adutores: lectores obtestor, ut Gregorii Coronelli, Congregationum Notarii, commentarios adeant, (3) si summet oculis probaturi, num hæc ille in Pontificis ore verba ponat, quorum ego sentum, ac summam expressebam. Implorata Spiritus Sancti gratia, dixit Sanctissimus Dominus noster: Patres, ut vobis verum fatear, sepe apud me ipsum sui aliquantulum commotus, cum viderim, vos ita contentiosè in disputationibus versari, ut immemores omnino videamini status, conditionis, & perfectionis, atque instituti vestri, & magnitudinis, ac ponderis rei, quæ pertrahatur. Ubi enim agitur de rebus fidei, quam longissime abesse debent omnes humani affectus, solusque ante oculos constituendus est Deus, & communis Ecclesiæ ejus utilitas cunctis rebus præferenda est. Quamobrem hortor, & oro vos, ut hæc de vobis agatis, non fovende contentionis studio, sed inquirenda, & amplectenda veritatis desiderio, sicut deceat Religiosos, intra duos potissimos Ecclesiæ Ordines constitutos. . . Cum itaque de his propositionibus agendum esset, & discutendum, an sint secundum Sanctum Augustinum assertæ à Molina, illi, Sancto Augustino prætermissi, appellarentur ad Scholasticos Doctores contra intentionem nostram. Et cum in auctoritate Scholasticorum viderem repostam esse totam Molinæ defensionem, ad illorum sententias & rationes lectionem, & meditationem adhibui: & reperi, omnes fere Doctores Scholasticos solum admittam actus quosdam imperfectos, qui potius ad velleitatem, quam ad actum absolutum diligendi Deum super omnia accedunt. Quo etiam modo loquatur de aliis actibus credendi, sporandi, & penitendi. Inter hos vero Doctores non annoveramus Gregorium Ariminensem, cujus sententia jam olim rejecta fuit. Ita profecto Clemens; cujus postremis verbis nihil aliud significari, perceptum est, quam Gregorium Ariminensem iis Theologis annoverari non posse, qui cum sextæ propositioni de naturali dilectionis actu adfuisse dicerentur, re ipsa tamen minime fuisse, ab illo inventi fuerant. Atque adeo ex Clementis judicio, aliqua ratione, ut obiter retuli, faverat Gregorius Ariminensis: cui tamen minus standum esset, quod ejus jam dudum opinio rejecta sit. Adact & Acta Lemosii, nuperime typis edita, ubi idem sermo adnotatum deprehendunt col. 229. „ In principio hujus Congregationis (seprimæ) Sanctissimus hortatus est omnes, ut animo inquirenda veritatis, & cum charitate, & pace res tractarentur, sicut decebat duos præcipuos Ordines, Dominicanorum, & Jesuitarum. Deinde secundo dixit, quod a principio ipse præcepit & proposuerat dubium: *Quis majores vires libero arbitrio tribuat, an Sanctus Augustinus, an Molina?* & quod Patres Societatis respondentem dixerant, quod æquales dabat vires Molina, sicut Augustinus; & quod postea descendit ad particulares conclusiones, deductas ex Molina, ut ostenderet loca Sancti Augustini, ubi illas docebat: sed quod Pater Valentia statim adduxerat Scholasticos; cum tamen de mente duntaxat Sancti Augustini præcepisset tractandum.

„ Audacior tu multo, & in Pontificiam dignitatem injuriosior, qui, quæ Clementis verba fuisse, liquet, insulstatis, ac fallitatis plena dicitis.

P 2

eru-

(1) Apud Lemosium, se no perturbata tutta. (2) Apud Eleutherium, se ne perturbata tutta. (3) Extant Romæ in Augustinianum tabulario.

eruditorum omnium cachinnis, ac sibilis excipienda. Cur ita porro, rogo te, Censor egregie? Nimirum, inquis, duplici de causa: 1. Quod inter omnes Valentiae Orationes, hactenus habitas, ne una quidem occurrat, in qua non maximam partem sibi vindicet S. Augustini auctoritas: ut vel hinc liqueat, exprobari illi a Pontifice non potuisse, quod, Augustino pens dimisso, ad Scholasticos Doctores disputationem convenerisset. 2. Quod Gregorius Ariminensis (1) sexta propositioni Molinianæ non faveat, sed adverteatur quam maxime; e contra vero ceteri plerique Theologi (quos ab ipso Lemosio in Panoplia citatos mones) eidem impense suffragentur: atque ita supina ignorantia esse, quod a Clemente dictum retulimus, inventum a se esse unicum Gregorium Ariminensem, qui sextæ propositioni favere utcumque videretur. At delusus tu potius es, & eruditorum omnium cachinnis excipiendus, qui nescias, aut certe nescire fingas, Valentiam geminis congressibus, ante habitis, ac ipsa etiam, de qua hic agitur, septima concertatione, quadraginta, & eo amplius de schola Theologos longo ordine deduxisse, quos Molinianæ sententiæ patrocinatos effutabat: quæ res Clementi stomachum movit. Erant hi, præter Doctorem Anglicum scholæ principem, Albertus magnus, D. Bonaventura, Aegidius Romanus, Henricus de Gandavo, Scotus, Joannes Bassolis, Durandus, Guillelmus Ocham, Antonius Andreas, Adamus Godam, Petrus de Palade, Guillelmus de Rubionis, Thomas de Argentina, Marcellus Inghem, Petrus de Aliaco, Joannes Gerson, Gabriel Biel, Jacobus Almainus, Franciscus Lichettus, Nicolaus de Hissé, Cajetanus, Dominicus Soto, Melchior Cano, Ferdinandus Vellozilus, S. Antonius, Joannes Brunderius, Antonius Cordubensis, Martinus Navarrus, Michael Palacios, Joseph Angles, Thomas Stapletonius, Franciscus Zamel, Dominicus Bannez, Ruardus Tapperus, Richardus de Mediavilla, Julius Sitenus, Gelais, Andreas Vega, Franciscus Victoria, Adrianus &c. Num hi porro Molinæ tuo, quod fidenter afferis, suffragentur impense, ex ipso, ad quem provocas, Lemosio discere poteris, in Panoplia, tom. 3. lib. 3. part. 2. cap. 27. ubi citari quidem magna ex parte inveniuntur, ut mones; at non, ut Molinæ donentur, sed contra potius, ut ab ejus defensoribus laudati perperam ostendantur: quod vel ex ipso titulo, si integrum caput lectitare non vacat, nosse potes: CAPUT 27. *Perperam ab Adversariis asseritur, hanc eorum sententiam de dilectione Dei auctoris naturæ super omnia esse communem Scholasticorum doctrinam.*

Quod interest Gregorium Ariminensem, non est, cur illum, de viribus liberi arbitrii disputantem, contraria Molinianæ doctrinæ sensisse, multis evincas. Dams id larga manu, ac pleno modio: immo in extremam, atque exorbitantem sententiam abiisse Gregorium, certo scimus. Verum & id perinde contendimus, eundem illum sextæ, ac etiam quintæ Molinianæ propositioni oblique favisse, quo etiam loco in contrarium omnino dogma prolapsus est: ut merito dixerit Clemens, Gregorium Ariminensem, non perinde ac ceteros, in rectum sensum insecti posse; atque ita Molinæ utcumque favisse. Gemina quippe questio utraque Molinæ propositione continebatur; facti una, juris altera. Sic enim quinta Molinæ propositio legitur apud Molinam, in Concordia, quaest. 14. art. 13. disp. 14. mem. 1. (2) *Negari non potest, complurium esse Scholasticorum*

sententiam, liberum nostrum arbitrium, cum solo concursu generali Dei, elidere posse non solum actum auctoris naturalem, &c. Sexta vero h'is verbis effertur eadem disputatione, mem. 3. *Communis Scholasticorum sententia est, elici posse solis viribus naturalibus arbitrii nostri, &c. concursu generali Dei, actum absolutum, mere naturalem, dilectionis Dei super omnia, qui ad justificationem nequaquam sufficiat, &c.* Quocirca utrumque in controversiam veniebat: 1. An ea re ipsa foret communis Theologorum opinio, quam Molina venditabat, ac propugnabat, ut erroris labe purissimam? quæ facti questio erat. 2. Vera-ne, an falsa opinio illa foret; absolvenda, an condemnanda? quo capite juris questio versabatur. Porro Gregorius Ariminensis, in priori facti questione, Molinæ dat manus, utroque consentit; tamen in altera, quæ juris erat, ab eodem procul abscedat. „Plurium, inquit, (3) Modernorum est opinio, quod homo per sola sua naturalia, cum communi instantia Dei, etiam in statu præsentis naturæ lapsæ, actum bonum moraliter, id est, conformem rectæ rationi secundum omnes circumstantias requisitas ad hoc, ut actus sit virtuosus, & moraliter bonus, potest elicere: V. G. diligere Deum super omnia, dolere, & detestari peccatum commissum, & ætatem Dei offerens. Et sic de aliis... Quæ opinio, quantum mihi apparet, salva debita opinantium reverentia, cadit rectissime in errorem Pelagii: quin immo effrenatus deviat a doctrina Catholica &c. Atque hoc ipsum est, in quo Gregorium Ariminensem Molinianæ propositioni utcumque favisse, dixit Clemens VIII., priori scilicet ejus parti, quæ facti questio stabat, assentiendo.

Quamquam quid his immoror, ut adornatæ historię fidem in tuto ponam? Cura fatis illud mihi sit ostendisse, me Notarii publici narrationem integræ fide reddidisse; nec alia in Pontificis ore verba posuisse, quam quæ ab illo pronuntiata referuntur, etsi forte minus illa veritati congruerent. Fieri quippe possit, ut Clemens in illo orationis ardore, lapsus memoria passus, Gregorium Ariminensem per oscitantiam nominasset, cum alium forte in animo gereret, puta Thomam de Argentina, aut Antonium Andream, qui præ ceteris, a Valentia productis, Molinæ favisse videntur, difficilisque in reclam sententiam exponunt. Nemine enim usque adeo Romanorum Pontificum assentatorem, puto, ut isdem indefectis memoriæ privilegium in litterariis etiam collationibus datum velit.

Cætera mitto Pontificis dicta, eodem congressu, aliisque identidem fusa, effata grandia, invicta in Molinæ vindictæ argumenta, quæ tu nugaci simulatione, a me ipso, quasi Pontificis ore abusus essem, inserta, fingis. Lectorem monere, fat fuerit, isthæc totidem verbis ex Coronelli Commentariis exscripta esse, atque idcirco additis anfulis, aut etiam Italico caractere distincta. Si cui suspicionem illa non eximunt, fontem adeat, ac suis ipse oculis erudiat. Sint-ne porro tam misera, ut loqueris, quæ, Clementis nomine, argumenta protulimus, præsentis inquisitionis non est, atque examinatis, quo facta duntaxat historice ad crimum exigimus.

In nona Theologorum disputatione, quæ in Congregationem undecimam incidit, die septembris 30. celebratam, velut in scripto nodum queris: quasi propositionis Molinianæ, in controversiam adductæ, periodum intermedium *caute* *trun-*

truncarim in priori editione; iis scilicet verbis, de industria dissimulatis: non quidem, quasi eo conatu dignus efficitur talibus auxiliis, ullaque ratione ea promoveatur. Verum non id cate, sed casu, ac scribæ-oscitantia, factum, aperte liquet: quandoquidem hoc ipso lib. 3. cap. 8. (1) suggestillatæ a te Editionis, ubi Molinianæ propositiones universæ, in disceptationem futuris congressibus adducendæ, recitantur, hæc ipsa, quam *caute truncatam* quereris, integra legitur col. 393. eademque totidem verbis inserta periodus, quam dissimulatam de industria fabularis. Ut quid vero cate, ac studiose dissimularem, cum, vel hac ipsa omissa periodo, integer verbis sequentibus sensus extet, quem expendendum iusserat Pontifex? An in libris S. Augustini legatur, constitutam esse a Deo legem infallibilem cum Christo Filia suo, ut, quies bono satis naturæ viribus fecerit totum, quod in se est, Deus illi tribuat gratiam?

At hæc levia, ne dicam inania, Majus illud momentum habet, quod, ejusdem disputationis occasione, quæ Valentia fatalis, & ultima fuit, lectoribus ingeris: fabulis scilicet accensendum, quod lib. 3. cap. 5. ex Lemosio recitavi: Gregorium de Valentia, S. Augustini contextum, lib. 19. De Civitate Dei, cap. 13., inter disputationem, corrupisse; eademque de te coram sacro Confessu extemplo convictum, ingentique pudore suffusum, lento conceptus mœrore contabuisse. Et quidem ego Lemosii narrationem, ne in falsi crimen voceretur & ipse, luculenta Gregorii Coronelli testificatione communi; virorumque, omni exceptione majorum, Cardinalis Perronii, Francisci Pegnæ, Alexandri Zilioli, Philippi Brietti, Societatis Jesu, suffragiis confirmavi: qui licet singula fatalis Historię capita singuli non percenseant, facti tamen summam aliis aliis verbis representant. Hæc tu nunc magna ex parte dissimulas, ut in sola Coronelli testificatione cavilleris; a quo nihil in Actis scriptum, ais, de attentata per Gregorium de Valentia Augustinianæ sententiæ corruptione, etsi de ejusdem sensu altercatum cum Lemosio, fatearis. Quid itaque, rogo te, ea sibi Coronelli verba volunt, a nobis prolixius recitata? PATER THOMAS: *Veniam nunc ad auctoritates Doctorum, quæ productæ Valentia in defensionem Molinæ. Etenim, ut hinc exordiar, primus locus, quem ex lib. 19. De civitate Dei, cap. 13. adduxit, longe diversum sensum habet ab illo, quem P. Valentia intendit. Nam ex ipso contextu aperte constat, S. Augustinum docere &c. . . . P. GREGORIUS: Nos non sumus commentati sententiam S. Augustini, sed illam fideliter restulimus. Formalibus autem verbis ait, quod Deus, bene utenti temporalibus, ex pacto æquissimo dabit alia majora dona, et gloriam. PATER THOMAS: Non ita inquit S. Augustinus: sed quod homini, bene utenti temporalibus, dona alia dabit Deus, scilicet ipsam immortalitatis gloriam. Quid illa rursus ejusdem Notarii verba in edito instrumento Congregationis duodecimæ, in qua suam Romani Censores de hac ipsa disputatione sententiam tulere? Evidenter consistit, tam argumenta defensorum Molinæ esse captiosa, quam Doctorum sententias, falso intercasas, & corruptas fuisse allatas. Hinc, nisi plane cæcutis, perspectum habes, a disceptatione de Augustiniani Testimonii sensu ad digladiationem de contextu ipso progressum esse, quem, non commentando, sed fideliter referendo, a se citatum, ajebat Molinianus Interlocutor; contradicente Lemosio, admittamque interpolationem expostulante; quod adver-*

bium scilicet in conjunctionem et studiose commutasset; unde contrarius sanctissimi Doctoris sensus reddebatur, uti & ipsis delegatis Censoribus visum est.

Næ tu itaque lepidas nobis nugæ occentas, qui, ut rem meridiana in luce postquam neges, miseram ignoti hominis ad Quæsnellium scribentis laciniam jaetas, qua, si tibi quidem fides est, ferebatur, Coronellum nihil habere de loco S. Augustini de Civitate Dei, lib. 19. cap. 13. licet plura alia Valentia argumenta commemoret. Papæ quam authenticum instrumentum, ut quæ Coronelli Actis inserta legitur, eadem non inserta intelligamus! Agedum, Eleutheri, & laceras quasque chartæ plagulas, ab obscuris etiam, ignotisque capitibus Quæsnellio scriptas, sybillæ oraculis inserte, auratissime forulis sub Palatini Apollinis basi occlude: nos ceteris facile tradimus, ne roga cordyllis, aut penula desit olivis. Cave tamen interim, ne cum tuo illo laciniarum scribillatore, quo uno auctore niteris, minus ipse contentias. Quandoquidem, sin minus a Molinianio disputatore corruptum Augustini textum agnoscis, at de ejusdem saltem intelligentia altercatum, ultro concedis; cum ille ex adverso nihil de hoc ipso Augustini loco apud Coronellum haberi, ineptissime scribat.

Sed differuntur, inquis, in ea Valentia catastrophe enarranda, Coronellus, Abbas Farsensis, Pegna, Lemosius. Falleris: Nec enim differre Historicis putandi sunt, quod, eodem in factio enarrando, singula singuli ejusdem adjuncta minime percenseant, sed alii fuisse, alii pressius idem narrent: modo nihil eorum neget unus, quæ scribit alter. Alias non modo fumos Historicos, verum etiam Divinos Scriptores, mutæ inter se se dissonantiæ incusabitis: cum in eadem plerumque historia conscribenda, nonnulla unus adjuncta noter, quæ ab altero brevitatibus studio omittuntur. Ita porro est in præsentia: Valentia casum fuisse admodum persecutum est Thomas de Lemos, quæque in eo singulariter contingere, quorum & ipse pars magna fuit, minutim narrare, gessit: ceteri pressus, ac, missis adjunctis, rei summam attingere: nec tamen Adversariis dictis vel leviter repugnarunt. Ut enim Abbatem Farsensem, cuius Codices neutri nostrum lectica-re licuit, silentio mittam, Gregorius Coronellus, de vitiatio S. Augustini contextu digladiatum primo inter Auctores, ac tum de attentata interpolatione a Censoribus deliberatum, aperte monet; congressumque præcipitatum solum observat, Societatis Præposito Generali supplicante, ne Valentia animi deliquium pateret. (2) Alexander Ziliolus Valentiam, falsati Augustini extemplo convictum, ingentique pudore suffusum, ac demum ex animi mœrore in apoplexiam prolapsus, litteris tradit. Cardinalis Perronius, & Franciscus Pegna, falsatum a Valentia Augustinum, distincte non ajunt; innuunt tamen, aut certe probrosum quiddam ab eo tentatum, aperte significant; qui eundem, supra mortalium omnium sortem pudore suffusum, scribunt, indeque concepto dolore extindum, memoriæ produnt, Deo quidem hominis audaciam ulciscente. Quæ omnia & mutuo secum, & cum Lemosii narratione plane consentiunt: quamquam non unam ille facti summam, ut isti, sed adjuncta insuper omnia, ac minutissima quæque accidentia percenseat.

Neque vero audiendi hoc loco veniunt Petrus Possinus, & Vincentius Guinifius, Societatis Professores, quos contraria Lemosio scripserit, dicti-

(1) Tom. 3. lib. 3. par. 2. cap. 27. (2) Vid. lib. 3. Hist. cap. 12. & 13. (3) Lib. 2. dist. 26. quest. 1. art. 1.

(1) Nunc est caput 9. (2) Vide lib. 3. Hist. cap. 5.